

Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO METAPHYSICA.

DE

AFFECTIONI-
BUS ENTIS IN GENERE.

Quam

In

Celeberrimâ Wittebergenſi Academia
publici exercitij gratia.

PRÆSIDE

DN. M. CHRISTIANO BIEL-

FELD LUBECENSE, COLLEGII PHI-

loſophici Adjuncto digniſſimo Amico & Fau-
tore ſuo honorando.

*Publica, placida ac ſobria Philoſophantium diſquiſitioni
ſiſtit & exponit*

CHRISTOPHORUS HASSE;

Brandenburgo - Marchicus

Autor Respondens.

Ad diem 13. Martij horis matutinis

In Auditorio Philoſophorum.

Terentij. Act. 4. ſc. 4.

*Nihil eſt, quin male narrando imò detorquendo
poſſit depravarier.*

✻[+]✻

WITTEBERGÆ,

TTPIS JOHANNIS HAKEN, M DC L

diss. A
56

541. A 148 (56.)

ALFRED CATION

BIS FAMILIEN GEBIHR

DR. M. CHRISTIANO BIRL

FRID. LUDWIGS, COULBOURTH



CHRISTOPHUS HASE

WILHELM HASE

WILHELM HASE

PROOEMIUM.

A Naxagoras: dixit: *Manum esse causam Sapientiae*; Ubi per manum, usum exercitiumq; cujusque rei intelligens, summam exercitationis, tam publicæ quam privatæ omni in disciplina necessitatem omnibus commendatam voluit: Cum verò longè, longèq; plurimùm, publica anteferenda privatæ est, ideo nec disputationes ultimam inter exercitiorum placita mereri sedem autumo. Quemadmodum enim, sine adjutorio ignis nihil calidum est, teste *Seneca*: Ita sine literarum certamine, pugnaq; nullam veram solidam, exploratamq; scientiam rerum nobis polliceri possumus. Varias namq; variorum opiniones tantum novisse, nil sanè proderit, nisi quoq; sub iacudem ventilationis revocentur, & ad normam incorrupti judicii dijudicentur & expendantur. Hisce adducti sumus ut Manum applicemus, placidamq; pugnam de materiâ nobilissimâ Affectionum sc. Entis in genere pugnemus, veritatemq; *ἐν τῷ βύθῳ* latentem revocemus, si fortè verò ob virium nostrarum imbecillitatem, materiæ propositæ difficultatem, aut dissentientium varietatem fieri nequeat, veritati tamen quam proximi fuerimus si denegatis interioribus, cū vulpeculâ illâ *Æsopieâ* exteriora labere instituerimus; subinde in ore habentes illud: *In scholâ veritatis & vincere & vinci pulchrum est, & quandoq; victi sicut & lapsi resurgunt.*

THEOREMA I.

DANTUR AFFECTIONES QUÆ E NATURA ENTIS PROMANANT.

1. Theorema hoc quanquam suis lucet radijs, tamen ut in omnibus consuevit, suos habet Osores, qui Ens Affectionibus denudare innituntur, sed ineptè nimis, quis nescit? Ens namque suas

habere Affectiones ipsa urgens & clara suadet jubetq; necessitas. Constat enim agud omnes quod dentur prædicata communissima, quæ de quovis Ente dici queant, ita tamen ut essentiam ipsam non exprimant, ideoq; non simpliciter Ens ipsum sint, sed afficiant. Et quid? Nulla sanè vera scientia datur, quæ de objecto suo proprietates non demonstret juxta communem Philosophorum sententiam. Si jam ut etiam arguit Javellus lib. 4. Metaphys. 9. 2. objecta aliarum disciplinarum suis gaudent Affectionibus; ob quam quæso rationem etiam in hæc omnium aliarum dictatrice, cujus inter alia requisitum est, esse scientiam certissimam ad causas reddendas, non concederetur, licet eodem modo cum reliquarum scientiarum strictè sic dictis Affectionibus sese non habeant propter identitatem realem quam cum Ente ut subjecto suo obrinent. Sicut porrò Deo & Creaturis ipsis competunt Affectiones seu passionis: Ut qui dicitur, Unus, Verus, Bonus, Justus, Sapiens, Misericors &c. Cur Ens inferioribus hisce commune, habere passionis, inficiaremur. Hinc eruditè satis & doctè monet, Fonseca lib. 4. Metaph. c. 2. 9. 5. sect. 2. Quemadmodum cætera Entium genera quatenus talia sunt, suas proprias habent Effectiones quæ in particularibus scientijs demonstrantur: Ita Ens, quâ ratione est Ens, proprias affectiones habere debet, in quibus considerandis & demonstrandis primi Philosophi cura vensetur. Adest Unanimis Philosophorū Consensus, qui cōmuniter, Enti, Unū, Verum, Bonum, ut veras passionis tribuerunt; ut Svarzezi, Fonseca, Javelli, & Aristotelis ita 3. Metaphys. c. 1. dicentis: Quædam scientia est, quæ speculatur Ens prout Ens est, & quæ ei per se in sunt; jam quid quæso aliud Philosophus intendit per τὸ inesse per se, quam Affectiones? quippe quæ vi nominis certum subjectum requirunt, quod afficiant: Huic consensu refragari, quis, nisi cum labe posset?

2. Ut ex jam dictis manifestum est in Ente ut sic veras dari passionis, paucis modò (cum multa tot pagellæ non admittunt) addimus, hoc loco nos non considerare affectiones in summo rigore s. scirentifico, quo respectu instar Accidentium insunt subjecto, ita ut realiter ab ipso distinguantur. Ut risibilitas in homine.

mine. Sed in latitudine & generalitate eâ, quâ præscindunt à Deo & Creaturis, ab ipso Ente secundum rationem ratiotinatam seu formaliter distinctâ, dicunturq; passionibus transcendentales & κατ' ἀλόγισιν ita dictâ, quæ verò veræ sunt Affectiones, quippe quod Analogia non neget veritatem rei, de quibus in theoremate secundo pluribus. Quod & ipsum comprobare videtur, b. m. Clariss. D. Jac. Martini: quando in proelect. Metaphys. publ: l. I. c. 2. Contra Lippum ita docet: Est vera affectio etiam ea, quæ cum subjecto eandem essentiam habet, modò discrimen aliquod sit fundatum in ipsa re & intellectui nostro sese objiciat, fiatq; per illud conceptus objectivus alius atque alius.

THEOREMA II.

Affectiones Entis sunt attributa Entis, quæ ipsum Ens proximè consequuntur, denominant & cum eodem convertuntur.

I. Explicata quæstione AN sint, remotâq; omni dubitatione; essentiam ipsam, quid nimirum sint, contemplandam examinandamq; aggrediamur, quæ ut scitu maximè necessaria, ita latiori & accuratiori explicatione dignissima. Ubi circâ definitum primo intuitu se nobis conspicienda ac probè pensiculanda præbet.

1. παραωνυμία derivatio nominis genuina. Descendunt à verbo Latino; *Afficere*, ut secundum derivationem vocis non sunt ipsum subjectum, sed tantummodo consequantur ipsum, illudque afficiant, denominantq; , non verò ut participant Entis rationem συνωνύμως, ut ita, quæ Ente sunt essentialiter inferiora: Sed quod afficiant ipsum Ens extraessentialiter, adeoq; περιωνύμως de Ente prædicentur 2. ὁμωνομία. Nominis varia acceptio. Sumitur 1. Strictè pro passionibus in rigore sic dictis, quæ per morem accidentium insunt suis subjectis, & juxta quatuor conditiones in passionibus ejusmodi requisitis examinantur, quarum est. 1. Ut sunt aliqua res. 2. Ut à subjecto realiter sint distinctæ. 3. Ut cum subjecto suo reciprocantur 4. Ut subjectum in ratione suâ intrin-

secā non includant. Cujusmodi affectio est Risibilitas. Est enim Res aliqua, non enim est purum figmentum, sed est qualitas secundæ speciei. Est à subjecto suo sc. homine realiter distincta; homo enim est in prædicamento substantiæ, risibilitas in prædicamento Accidentis, quia cum subjecto suo recipitur. Omnis enim homo est risibilis, & omne risibile est homo. Deniq; in suâ ratione i. e. definitione subjectum sc. hominem non includit, licet extrinsecè addatur. 2. Latè pro affectionibus transcendentalibus & Analogicè sic dictis, quæ omnia quatuor requisita non admittunt; sed propter universalitatem & transcendentiam cum Ente simplicem, reperiuntur tantum rationes, ut vocant demonstrabiles. Nam non sunt res aliæ seu realiter distinctæ ab Ente, sed tantum formaliter, speciali illo modo quam Enti superaddunt: Non enim idem sunt ἀπὸ λῶς subjectum & attributa, sed ratione rationis conceptæ distinguuntur, & proinde quoq; exulat ultimum requisitum, quippe quod intimè imbibant ipsam essentiam subjecti sc. Entis. Verum quicquid sit, sunt tamen & manent affectiones veræ, sufficit enim ad affectionem quatenus affectio est, non quatenus talis & talis est, ut sit attributum formaliter, diversum ab eo cuius est attributum: deinde ut proximè rem consequatur eamq; denominet, deniq; ut recipietur cum suo subjecto, quæ omnia in nostris affectionibus ut sic deprehenduntur v. g. Unitas formaliter notat indivisionem Entis, proximè ex illo fluit, illudq; denominet, nec non cum eo recipitur: Unde omne unum est Ens & omne Ens est unum. Non vero (quod diligenter attendendum est & ab omnibus quoq; Philosophis notanter adjicitur) ratione essentia sed ratione suppositi. 3. Attendenda venit Συνονυμία. Nominis cum alijs in significatione convenientia. Græcè dicuntur. πάθη, ἰδιων, ἰδιότης & ἰδιώματα. Latine, Propria, Passiones, Proprietates, Adjuncta: Rationem de his postulanti in discursu dabimus. Dicuntur essentialia consequentia & unitivè contenta in Ente; Non verò unitivè contenta ut superiora v. g. substantia, Corpus, mixtum, Vivum, Animal, respectu hominis ut continentis. Sed unitivè contenta ut inferiora sunt quæ ex continente fluunt per naturæ sequelam, & sic unitas & pas-

siones

fiones omnes Entis unitivè contenta sunt respectu Entis ut conti-
nentis. Dicuntur transcendentia, quia transcendunt omnia. Est
autem transcensus, quod notandum, iste duplex. 1. vel Entis nobi-
litate; Ut Deus, vel prædicationes latitudine, quæ de omnibus re-
bus prædicantur; Ut sint conceptus generalissimi. Dicuntur modi
Entis; Sed ne ambiguitate vocis decipiamur, dicimus, notamus.
Non hoc sumi vocabulum Modi, vel pro determinatiori essendi
ratione, vel pro modo speciatim dicto, de quo consul. Suarez 7.
disp. Metaph. l. 1. n. 17. sed sumitur pro modo afficiente Ens, illudq;
intrinsicâ suâ ratione includente: Vid. CAL. in Metaphys.

2. Circa *πραγματολογία* seu definitionem ipsam pro-
more observanda essent, Genus & differentia specificia. Verùm e-
nim verò cum in disciplina hâc universali haud dentur definitio-
nes accuratæ sub in alijs, ideoq; nec omnibus stipata est bonæ defi-
nitionis requisitis. Ponunt alij Generis loco, conceptus generalis-
mos: ut D. CAL. Alij Attribute, & quidem pleriq; Præceptores
nostri, quorum ductum & nos secuti, quippe utrumque materialis
vicem sustinere potest, cum pluribus conveniat: Loco differentia
seu rationis formalis: Quod ipsum Ens proximè consequantur
transcendentaliter denominent, & cum eo convertantur nihil e-
nim ipsam naturam Entis proximè accedit, quam ejus affectio-
nes cum hæc ex ejus intrinsicâ ratione & essentia sunt ortæ, teste
Jacob. Martini p. m. l. 1. part. Metaphys. l. 3. q. 3. Hinc etiam ob-
servatâ distinctione ab Ente ipsum Ens transcendentaliter denomi-
nant & cum eo convertuntur, ut postea dicetur: Atq; hæc de de-
finitione, sequitur.

THEOREMA III.

**Affectiones Entis realiter non differunt ab Ente,
sed ratione.**

1. Notandam hîc est; Aliud esse, reale quid esse, Aliud re-
aliter ab Ente distinctum esse; de priori in hoc Theoremate non
sumus solliciti, cum postea in quæstione quâdam quid dicetur, sed
de po-

de posteriori questione, num sc. Affectiones realiter distinctæ sint ab Ente? Quod nos negamus contra Scotistas, contendentes, Ens non includi quidditative in Affectionibus, sed ab ijs distingui ex naturâ rei, cum tamen unân timer concedunt, quod attributa sint quid positivi, igitur manifestissimam hanc esse contradictionem, quis non animadvertit? Et contra affirmamus eas differre duntaxat formaliter seu ratione, & pro stabilienda nostra sententia, quàm plurimas possumus adducere rationes, 1. Quia essentialiter includunt ipsum Ens, Ita unitas entitatem indivisam: Ita veritas dicit eandem essentiam, sed sub alio atq; alio statu, nempe entitatem conformem intellectui. 2. Quia non possunt concipi sine Ente, proindeq; non habent diversitatem realem ab ente. Nam si hoc concederetur haud obstaret, quo minus illa diversitas realis fieret, vel esse possit conceptus objectivus peculiaris & ita sine Ente intellectui objiciatur. 3. Quia non sunt entia sed saltem modi jam, verò distinctio realis in absolutis requirit diversa Entia Vid. de his plur. in Theor. transc. D. Scharff. disp. 6. p. 272. Remanet ergo discrimen rationis quod saltem habeant diversam corruptibilitatem & distinctam à conceptibilitate Entis ut sic. Ex hoc jam evicto constat: quod prædicata realia subjecto realiter convenientia non semper inferant realem cum subjecto compositionem: Disputare etiam possemus contra hanc distinctionem cum Dn. Stahlio disp. 2. Metaph. t. 36. Sed res ipsa loquitur, nolo igitur diutius minorari in re manifestissima, sed pedem figo.

THEOREMA IV.

Affectiones Entis sunt Reales, Positivæ, propriæ.

1. Quarto nostro thorematis nonnulli suo more subtiles Philosophi sese opponunt & in negativam abeunt sententiam. Vid. Syarez. disput. 3. s. 1. n. 2. seq. aliosq; præprimis Javellus lib. 1. Metaph. c. 2. q. 3. Laboriosè maximè est in demonstrando: Ens habere quidem veras passiones demonstrabiles, sed non veras passiones reales; rationem adjicit, quia sc. ex natura rei ab ipso Ente non

non

non differant]: Verum hæc sequela quam vilis sit, ex præcedenti-
bus satis patet; Hoc tantum addimus; Quod si Javellus veras ac
reales passiones in Ente negat, omnino absurdi sit accusandus, ne-
gabit enim simul veras ac reales proprietates in Deo, quandoqui-
dem nec illæ ex natura rei differunt, sed quicquid sunt, ipse
Deus est teste. R. Haccad. in Gal. Razeia, licet ratione ab ipso di-
stinguantur. Hinc optimè disputat Svarez. disp. III. s. i. n. 6. Fie-
ri potest ut attributa Entis sint realia quamvis non re sed ratione
distinguantur: Et ratio est clara, quia distinctio rationis, quæ ori-
tur ex præcisione intellectus, non est per conceptionem alicujus fi-
ctæ Entitatis, quæ non sit in re sed per modum solum inadæqua-
tum concipiendi, esse reale, quamvis modus attributionis sit solum
per rationem. Sed mittimus hæc, & veram tuemur sententiam,
dicimusq;

2. Esse veras ac reales passiones. Nam quid sunt passiones?
nonne sunt pura figmenta rationis? Minimè gentium, ut autem
lux veritatis eò magis radiet, distinguimus cum Authoribus alijs. 1.
Inter Affectiones fundamentaliter vel connotativè consideratas,
quæ connotant ipsam essentiam Entis, quam intimè imbibunt &
fundamenti loco ponunt. Et inter Affectiones præcisè & forma-
liter intellectas, quæ absque ipsa essentia, quam denominant, in
esse suo formali concipiuntur. 2. Inter Verum & reale in quantum
dicit Ens verum & reale strictissimè sic dictum, & deinde ut oppo-
nitur ficto & Enti rationis strictè ita nominato. Jam applicemus
has distinctiones! Si Affectiones Entis in priori significatione su-
muntur, utiq; etiam dicuntur veræ & reales, quippe quod suam ve-
ritatem & realitatem habeant ex essentia Entis quam illæ intrinse-
ce implicant & sic ipsam essentiam Entis connotant ab eâq; novam
& peculiarem entitatem non habent. Si verò in posteriori signi-
ficatione Affectiones illæ considerentur, possunt dici veræ & reales
non in priori, quippe nihil realitatis Enti superaddunt, sed in po-
steriori significatione sumendæ erunt, cum non sint fictæ & puræ
rationis Entia, aliàs enim ipsius veri Entis affectiones dici non pos-
sent, cum vero Enti veræ & non fictæ respondent Affectiones,
quid quod res tum demum non sint unæ, bonæ, veræ, quando no-
B noster

noster intellectus operatur & concipit eas bonas &c. verum absque ulla mentis nostrae operatione omnia Entia ana, vera, bona sunt. Ita Deus, Unus, Verus, bonus, misericors est &c. Creaturae reliquae, ut Aurum verum bonum est, nemine etiam cogitante. vid. p. m. D. D. Jacob, Mart. l. 1. partit. Metaphys. s. 3. q. 1. p. 128. Cujus haec sunt verba: Sano sensu realia haec attributa dici possunt, quatenus de formali aliquid dicunt in rebus esse & verè ac simpliciter enti possunt attribui per modum privationis &c.

3. Tuemur esse positivas. Quod ipsum satis superq; ex praebatis innotescit, ideoq; nolo latiori enodatione immorari. Quo enim modo sunt reales, eo etiam positivas esse nemo facile negabit, cum etiam positivum opponatur negativo, quod negat, vel tollit essentiam: Si enim haec ratione non essent positivae, essent nihil. Dissidentibus verò, facile modo adhibita limitatio eximet scrupulum.

4. Stabilimus deniq; esse proprias. Non verò in oppositione vel ad genus, vel ad differentiam, vel ad speciem, vel Accidens sed in oppositione metaphorica ad impropria attributa. Nam si per vocem, proprii intelligimus proprium Accidens, minimè nomine gaudent affectionum propriarum sed potius analogicarum, aliàs enim à subjecto suo nimirum Ente differrent realiter. Si verò proprium dicatur illud, quod non est Metaphoricum aut alienum, propriissimae sunt v.g. longè alia ratio est quādo dicimus Ens est bonum, quam cū affirmamus Herodem esse Vulpem Neronem esse Leonem.

THEOREMA V.

Affectiones Entis ut sic, sunt vel Unitæ, vel disjunctæ:

1. Variæ occurrunt attributa Entis generalissima, quorquor verò sunt, omnia ad hæc duo capita reduci possunt, quod alia unitim, alia verò disjunctim cū Ente reciprocentur. Illæ dicuntur unitæ, quæ Ens solum modificant, neq; sese respiciunt ut oppo-

oppo-

oppositæ relationes, ideoq; à se *in vicem* realiter non differunt, & de Ente in suo pure affirmativo dicuntur. v. g. possum dicere omne Ens est bonum, omne bonum est Ens, &c. Contrâ verò affectiones disjunctæ, Ens quidem modificant, sed non solum, verum etiam se invicem respiciunt ut oppositæ relationes. v. g. Actus & potentia, causa & causatum; Et hæc ratio est, cur realiter inter se differant, & in sensu disjunctionis enuncientur: Ut quando dico. Omne Ens est vel causa vel causatum &c.

2. De numero Affectionum Unitarum s. simplicium variè varij Autores Metaphysici discordant. Alij addunt, Uni, vero, bono, perfectionem, Alij assignant ipsis existentiam, Alij durationem, alij Ubietatem, alij quoq; impossibilitatem annectunt: Ut Timpl. vid: Svarez. D. p. m. Jacob. Martini D. CAL. & Scheibl. Cum verò nostri non est propositi, de hisce agere in specie, ideoq; de ipsis nil certi affirmamus aut negamus. Hoc tamen obiter dicimus quod, si de istis agere animus ferret, tutius esset, præceptorum nostrorum insistere vestigiis, unitatem, veritatem, bonitatem asserentium.

QVÆSTIO I.

An Affectiones Entis præcisè & formaliter dicant Entia rationis?

EXPLICATIO. Quæstio hæc initialis, fluit ex theoremate quarto, quo realitatem positivitatemq; passionum Entis demonstrare tueriq; innixi, distinctionem inter passionem Entis formaliter & fundamentaliter consideratas, adhibuimus, ut & inter verum reale & positivum & pro alia atq; alia significatione Affectionum & veri reales & positivi affirmavimus & negavimus. Quæritur igitur, si nō sunt reales præcisè, nū sint purè Entia rationis? Ad hanc quæstionem decidendam, evolvenda est ambiguitas Entis rationis. Sumitur enim vel pro puro Non-Ente, Ente rationis vel ficto, quod totam entitatem suam habet in intellectu & tantum in eodem est subjectivè tamdiu quamdiu intellectus operatur & illo

illo cessante, cessat simul ipsum. Cujusmodi Entia sunt, Chymera, Cerberus, Mons aureus &c: Hoc sensu affectiones minimè Entia rationis dici fas est. Vel sumitur Ens rationis, quatenus beneficio rationis ab ipsis rebus formaliter distinctum concipitur, ita ut nullam entitatem propriam ac positivam de se dicat:

CONCLUSIO. Cōcludimus ergò, sensu latiori passiones entis formaliter entia rationis appellari omninò posse. Conf. pl. Svarcz. 3. disput. 3. sect. 1.

QVÆSTIO II.

An Affectiones superaddunt Enti aliquid positivi?

EXPLICATIO. Pro quæstionis determinatione sciendum, positivum duplici modo sumi, ut in theoremate quarto breviter insinuatum. 1. pro Ente reali positivo vel etiam modo quodam positivo ab Ente realiter diverso. 2. In quantum opponitur negativo, quod ipsam essentiam negat, posteriori quidem modo conceditur, in quantum ipsam essentiam non negat vel etiam fingitur tantum à mente, priori verò non. Affirmativam fovere innititur Avincenna, Vasquez, testibus Svarcz. disp. 4. & Arnisæo in Epitome Metaphys. putans, unam Entitatem quandam realiter distinctam ipsi Enti superaddere. Sed falsum quis non videt? Orietur enim inde progressus in infinitum, quæ omninò vitandus est. Hoc namq; quod Enti supponerent, si positivum quid esset, utiq; Ens foret (quod nemo negabit) atq; ita suis iterum stipatum esset affectionibus, de quibus idem dici posset; Imò fieret sic compositio in Ente ut sic, quod hâc ratione non posset Enti simplicissime attribui.

CONCLUSIO. Quid ergò superaddunt Enti? non quid positivi, sed tantummodo vel negationem, vel respectum quendam rationis. Ita tamen ut per eas perfectio realis positiva Entis explicetur non per reale aliquod superadditum sed secundum ipsammet formalem & essentialem Entis rationem, quæ sunt verba ipsius Dn. D. Jacob, Mart. p. m. in patt. l. 1. s. 3. q. 1. Vid. etiam Scheit.

QVÆ.

QVÆSTIO III.

An unitæ Entis Affectiones cum Ente
convertantur?

EXPLICATIO. In explicatione hujus quæstionis distinctè est procedendum, & triplex convertentia probè annotanda. Convertuntur quædam. 1. *Conceptibiliter*, quod conceptus, ita ut nihil rei aut rationis claudatur in uno conceptu, quod non claudatur in alio & sic convertuntur Synonyma, definitio & definitum: Exemplis res clara est. Ensis & gladius convertuntur conceptibiliter, quo enim conceptu concipio gladium, eodem concipio Ensem. 2. Convertuntur quædam *essentialiter*, Essentialiter autem converti est, esse non eandem rem convertibiliter. Nam multa sunt re eadem sed non convertibiliter. v. g. homo & animal non convertuntur essentialiter, ratio in promptu est, quia non sunt eadem res convertibiliter, quanquam enim omnis quidditas & essentia quæ est homo, sit essentia, quæ est animal, non contra tamen, sed aliqua essentia quæ est animal non est, quæ est homo. 3. Convertuntur aliqua *denominativè*, quæ non sunt idem essentialiter, sed ita se habent, ut de quo unum prædicatur, de eo & prædicatur alterum, v. g. homo & risibile convertuntur denominativè, quippe quod non dicant eandem essentiam, nam unum est, substantia, alterum Accidens, & de quocunque prædicatur homo, de eo etiam prædicatur risibile, cum omnis homo sit risibilis, & omne possibile sit homo.

CONCLUSIO. Statuimus & concludimus ergò, Tres affectiones, neq; converti conceptibiliter: Rationem addimus, quia quavis in ratione formali seu in suo conceptu proprio, claudit aliquid, quod non est in ratione seu in conceptu Entis. v. g. Unum dicit & includit indivisionem, bonum respectum ad appetitum, verum respectum ad intellectum. Neq; essentialiter, quia eadem est res & essentia convertibiliter. Sed affirmamus convertentiam denominativam cum Ente, quia de quocunq; prædicatur affectio aliqua, de eo etiam prædicatur Ens, & vice versâ. v. g. de quo dicitur unum de eo etiam dicitur & prædicatur ens & contra.

QVÆSTIO IV.

An in Deo veræ dentur, proprietates seu
attributa?

EXPLICATIO. *Philosophus ipse præsertim in libris suis Me-
taphysicis ultimis easdem in summo Ente ostendit. Igitur cum in
superioribus veritatem Affectionem Entis stabilire innixi simus,
paucis imò paucissimis hanc ventilemus, veritatemq; probemus o-
portet. 1. Authoritate Patrum.* Rectissimè scribit Cyrillus Alexan-
drinus lib. 12. thesauri. c. 15. in ex pl. c. 1. Joh. pag. 283. *Conditio
quædam atq; proprietas, vel si ita mavis, dignitas, alia Creatori a-
liæ Creaturæ necessariò inest. Item lib. 11. c. 14. Gloriæ propriæ
inquit, nunquam expers fuit, verus Deus & verbum Dei: Nec non
in Commentario super Johannem lib. 2. c. 139. Iaculcat: Proprium
esse substantiæ supremæ, ut mortuos possit vivificare. 2. Ab absur-
do. Qui enim negat attributa sive proprietates illas revera & reali-
ter Deo inesse, ille neget quoq; necesse est, Deum esse æternum,
esse incorporeum, esse immensum, esse omnipotentem, sapientem
intelligentē &c. Quid? hæc qui de Deo negat, vel in Deo esse infici-
atur; illū ipsum Deū negare necesse etiā est esse. Addo & hoc, quod
revera h. e. reapse & per viā eminentiæ prædicata hæc, sapere, pos-
se, justum, verum, bonum esse, tribui Deo possiat non vero per
αὐθροπον πρὸς θεῶν, quā ipsi aures, oculi & alia istius generis cor-
porea organa tribuuntur.*

CONCLUSIO. Ultrò ergò sequitur reapse dari in Deo at-
tributa seu proprietates, licet non inhætionis sed perfectionis. In-
fimum itaq; abeunt quæ objeci nobis solent de compositione
quæ vel inde oriretur. Vacillat etiam inde Massonij &
Beccmanni sententia, quæ omninò Deum affe-
ctionibus exuere satagit.

SOLI DEO GLORIA!

Quem

Quem subis haud tenuis labor est aut frivolus, Hassi:
Illa doces, quæ docta solent & acuta videri
Queis caelestis inest vigor, & testantur apertè
Quam Tibi fit solers animus, patiensq; laborum
Census & ingenij quàm dives: Perge labores
Exantlare graves & capta tenacius urge:
Sic tibi Phæbus erit facilis, nec inania ferta
Aut tenues titulos peramoena Camoena parabit.

*Amico & Domestico suo per dilecto
L. M. Q. f.*


*M. Johann. Andr. Quenstedt, SS. Theol.
Prof. Extr. & Coll. Phil. Adj.*

Mons urbi vicinus adest, ab Apolline monti
Nomen, in hoc Clario sunt habitacula Deo.
Hic quoq; Rectoris, dulci modulamine, laudes
Leucorides Musæ pollice, voce canunt.
Fortè suas tali compellat voce Sorores
Maxima Musarum Calliopeja chori
Et: placet ut nobis sacratam, monte relicto,
Urbem, chara cohors ingrediamur? ait
Visere fert animus nostri sacra germina Phœbi:
Urbs quoq; germina habet, non modo Pindus habet
Dixerat, atq; simul gressu tentabat ad urbem,
Et reliquæ comites nos simul ecce viæ
Excepisse refert, HASSI, te fama sorores,
Ad requiem Musis teq; dedisse locum.
Grata minus posset ne sacra caterva videri,
Ex Clario adsperfit ter tuâ labra lacu.
Hinc Musis gratus, facili licet esse disertum
Abdita Musarum voce referre licet.

Docto

Docta cathedra probat quam fit res maxima Musas
Excipere hospitio, doctus & ipse probas,
HASSI, chare mihi, sic perge admittere Musas,
In Pindo summum spondeo monte locum.

PRÆSES.



Ornatissimo Juveni

CHRISTOPHORO HASSIO,
De ENTIS AFFECTIONIBUS di-
sputanti.

HActenus Aonidum felix colit HASSIUS antrum,
Et patitur laudis nunc quoq; mille faces;
Cum subeunt curæq; mares doctæq; Camœnæ:
Nec retineat juvenem terra nec astra suum.
Quà melior certam Sapiencia condidit arcem,
Et circum mentis gaudia pura volant;
Hac abit, usq; ardens magnis incumbere votis;
Dum capit, & toto possidet ipse sinu,
Quicquid Sacratice quondam docuere cathedræ,
Quicquid Aristonidæ sparfit opima manus:
Quæq; per hos ipsos profecit Musa fingere,
Ingenio solers nec minus ore potens,
Lata juvat plausu currentem & præmia spondet;
Qualia victori servat onusta suo:
Ut, quos degeneres jactant, ferat unus honores
Doctus Aristoteles, doctus Aristonidas.

M. CASPAR ALEXANDER

[+]

Coll. diss. A 148, 56